



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KANENSIS**\* IN NIGERIA MISSIO SUI IURIS  
KANENSIS AD GRADUM ET DIGNITATEM

VICARIATUS APOSTOLICI ATTOLLITUR IMMUTATIS FINIBUS ET NOMINE Cum Missio sui iuris Kanensis, sodalium Societatis Missionum ad Afros curis concredita, haud parva incrementa passim suscepisset, ut iisdem ministris Evangelii meritum tribueretur testimonium laudis simulque eorum animi confirmarentur ad novos maioresque in dies exanclandos labores necnon ut Ecclesia illic firmius constabiliretur, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, re mature perpensa auditoque pariter eorum, quorum interest, faventi voto, censuerunt nuper ut memorata Missio ad gradum et dignitatem Vicariatus Apostolici eveheretur. Nos vero de totius Dominici gregis bono solliciti, talem sententiam ratam habentes, summa, qua fungimur, potestate Missionem sui iuris Kanensem ad gradum et dignitatem Vicariatus Apostolici attollimus immutatis finibus et nomine; quem quidem Provinciae ecclesiasticae Kadunaënsi aggregatum facimus et sollicitis curis Societatis Missionum ad Afros, uti adhuc, committi volumus. Haec omnia perducet ad exitum Venerabilis Frater Carolus Maria Viganò, Archiepiscopus titulo Ulpianensis et in Nigeria Apostolicus Pronuntius, cui iniungimus onus authenticum exemplar actus peractae executionis ad Congregationem, quam diximus, remittendi. Hanc denique Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quinto decimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.*

ANGELUS card. SODANO	IOSEPHUS card. TOMKO
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Marcellus Rossetti, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXXVIII (1995), n. 11, pp. 833-834 © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana